Respondit ihs. Si ego glorifico me ipsum. gloria mea
nihil est. Est pater meus qui glorificat me. quem uos
dicitis quia dī noster est. & non cognouistis eum. ego
autem noui eum. Et si dixero quia non noui eum.
ero similis uobis mendax. Sed scio eum. & sermonē
eius seruo. Abraham pater uester exultauit ut uide
ret diem meum. & uidit & gauisus est. Dixerunt
ergo iudei ad eum. Quinquaginta annos nondum
habes. et abraham uidisti. Dixit eis ihs. Amen amen
dico uobis ante quam abraham fieret. ego sum. Tu
lerunt ergo lapides. ut iacerent in eum. Ihs autem
abscondit se. et exiuit de templo.

Et pretereiens. uidit hominem cecum a natiuitate.
Et interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi. quis
peccauit. hic aut parentes eius. ut cecus nasceretur.
Respondit ihs. Neq. hic peccauit neq parentes eius.
sed ut manifestentur opera dī in illo. Me oportet
operari opera eius qui misit me. donec dies est.
Uenit nox. quando nemo potest operari. Quādiu
in mundo sum. lux sum mundi. Haec cum dixisset
expuit in terram. et fecit lutum ex sputo. & linuit
lutum super oculos eius. et dixit ei. Uade laua in
natatoria syloe. quod interpretatur missus. Abiit
ergo et lauit. & uenit uidens. Itaq. uicini et qui
uiderant eum prius quia mendicus erat. dicebant.
Nonne hic est qui sedebat et mendicabat. Alii
dicebant quia hic est. alii autem nequaquam. sed
similis est eius. Ille uero dicebat. quia ego sum. Dice
bant ergo ei. Quomodo aperti sunt oculi tibi. Res
pondit. Ille homo qui dicitur ihs. lutum fecit et
unxit oculos meos. et dixit mihi. Uade ad nata
toriam syloe. & laua. Et abii. & laui. & ecce uideo.
Dixerunt ei. Ubi est ille. Ait. Nescio. Adducunt eū
ad phariseos. qui cecus fuerat. Erat autē sabbatū.

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
Gray Scale
© HAB http://diglib.hab.de/mss/18-22-aug-4f/start.htm?image=00206
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/hab_mss18-22-aug-4f/0206